

22.a

FRIDEM. BECH-
MANNVS,

SS. THEOL. DOCTOR ET PROF. PUBL.

COLLEGII THEOL. SENIOR

ET H. T. DECANUS,

L. S. D.

J E N Æ,

Litteris WERTHERIANIS.



Praeclarum effatum est &
ornamentum, quò D. Petrus, Apostolus Je-
su Christi regenitos per Spiritum condecorat,
dum inter alia in I. Epist. c. II 9. scribit, quod
è tenebris vocati sint à DEO, in admirabilem
suam lucem. Dicit non potest, quantopere de
locis illis, in quibus *lucis vel luminis* Scriptura mentionem
facit, secta Quakerorum gloriari soleat, quasi in illis invene-
rint lumen suum internum substantiale, per quod regene-
rationem fieri somniant: quam vana verò sit hæc gloriatio, ex
hoc loco Petrinò ejusque dilucidatione clarum fiet. Hanc ve-
rò in se recepit Reverendus & Clariss. DN. Candidatus noster,
M. JESAIAS FRIDERICUS Weissenborn/
Ampliss. Facultatis Philos. Adjunctus, de cujus ortu, educati-
one & studiis ea, quæ accepimus, qua fieri potest, brevitate
enarrabimus. In lucem Dn. Candidatus noster editus est
Smalcaldie, urbe & fœdere Principum Protestantium, & Ar-
ticolis ita dictis Smalcaldicis, nec non Fodinis metallicis
pridem clarissima, anno epoches christianæ clæ Idc LXXIII.
d. XIV. Novembr. Patrem nactus est VIRUM Maxumè
Reverendum & Excellentissimum, DN. JOHANNEM
Weissenborn/ id temporis Philos. Magistrum, & Scholæ
Evangelico-Lutheranæ Smalcald. *Rectorem* meritissimum,
postea Gymnasii Evangelici Hildesienfis *Directorem* gravissi-
mum, hodiè SS. Theol. Doctorem præclarissimum, & Ec-
clesiæ Erfurtensis Prædicatorum Evangelicæ *Pastorem Prima-*
rium,

X 2

rium,

Secundum
intentionem.
Pastor P.


¶ (o) ¶

rium, Gymnasiiquè *Ephorum* vigilantissimum; Matrem verò
Fœminam Nobilissimam, suiquè sexus Ornamentum, MA-
RIAM SABINAM, Viri quondam Plur. Reverendi DN. M.
JOH. FRIDERICI HORNII, Pastoris Roslaviensis meritissi-
mi, b. m. relictam Filiam natu maxumam. Sed mox tertio
abhinc die sive XVI. Nov. sacro Baptismatis fonti oblatus est,
Susceptoribus VIRO longè Nobilissimo, Excellentissimo &
Experientissimo, DN. JESAJA Waltmann/ aliàs Geiger/ Med.
Doct. celeberrimo, hodiè Ditionis ac Civitatis Smalcald.
Physico ordinario felicissimo, & Serenisissimi Principis Hasso-
Cassellani Archiatro splendidissimo; itemque VIRO quon-
dam Max. Reverendo, DN. M. BASILIO Gúpner/ Pastore
& Ephoro Roslav. & Hartisleb. gravissimo b. m. Proavo scil.
Nostri materno. Hinc Parentum laudatorum curis matu-
rè pietate litterisque imbui cœpit, ideoquè Præceptorum fi-
dissimorum fidei tum in Schola Smalcaldensi, tum & tem-
poris progressu in Gymnasio Hildesiensi fuit traditus. In-
primis inter Magistros Hildesienses laudat SPRENGE-
RUM & SHEELKIUM, Gymnasii Collegas, Sextum &
Quintum, LANGIUM Cantorem, SWENZELIUM Con-
rectorem, M. LOSIUM Rectorem, ipsum PARENTEM
Directorem, quorum quippe Virorum ductu in virtutis,
linguarum cardinalium, Oratoriæ, Logicæ, Chronologiæ &
partim Theologiæ studiis eò provectus est, ut tandem etiam
exercitiis disputatoriis gymnasticis utiliter simul adhiberetur,
quosdam item Commilitonum ipsemet in studio Logico
cum fructu exerceret, eamquè ob rem acroasibus Acade-
micis dignus censeretur. Quare præcipitante anno
M. DC. XCI, cum Parens Erfurtum vocatus concederet,
idem pariter Filii Electorali Academiæ Erfurtensi se cre-
didit, fauces Academ. gloriosè tum tenente Rectore Magnifi-
co, DN. D. GEORGIO CHRISTOPHORO PETRI ab
Hartenfels/ Comite Pal. Cæs. Archiatro & Consiliario Elect.
Moguntino &c. Polyhistore celebratissimo. Ubi præter Pro-
fesso-

fessores ceteros clarissimos non sine fructu insigni usus est
 publicis juxta ac privatis lectionibus Virorum amplissimo-
 rum, DN. M. JOHANNIS SAURMANNI, Lingg. Sacrar.
 P. P. & M. VOLKMARI GVILIELMI STENGERI,
 Polit. P. P. sub cujus quoque præsidio Theses Philosophicas
 publicâ *Disputatione* defendit. Quam diligentiam infractam
 Amplissima Facultas Philos. contemplata Eidem anno M DC
 XCIV. calendis Octobr. Decano & Promotore Viro Pl. Re-
 verendo & Amplissimo, DN. M. GEORGIO ANDREA
 WOLLENHAUBTIO, Moral. P. P. & Regularium Pastore,
 Summos in Philosophia Honores, loco inter undeviginti
 Candidatos eximio simul collato, benevolentissimè imperti-
 vit. Quò fiebat, ut & maturè ingenii præclari dotes tum
presidendo tum *docendo* feliciter exponeret. Speciatim *Differ-*
tationes exquisitas de *Sabbathi obligatione naturali, de Philo-*
sophiæ Natura, Causis, Divisione, Instrumentis, Methodo, Cultu,
Fatis, Sectis &c. conscripsit, suoque præsidio tutatus est. Sed
 & Collegia Logica, Metaphysica, Pansophica, Disputatoria
 numero auditorum haut contemnendo aperuit, eo quidem
 cum successu, ut & clari aliquot Magistri & præcellentes in
 Jure & Medicina Licentiati hinc pariter prodierint. Quem-
 admodum verò per omnem ætatem *Parentem* suum Vene-
 randum Præceptorem ac Ducem præcipuum & continuum
 in omni studiorum genere agnoscit ac prædicat; ita & ex
 Ejusdem Collegiis Homileticis ac Theologicis, iisque in B.
 D. Dieterici Institutiones, in Compendium Theol. Musæo-
 Bajerianum, measque Annotationes uberiores in B. Hutteri
 Compend. Theol. &c. variè habitis profectus suos Theolo-
 gicos laudabiliter auxit. Neque minùs in summis templis
 Evangelicis Erfurt. concionando auditus frequenter non si-
 ne plausu fuit, nec parum in Theologia sua orthodoxa
 confirmatus variâ communicatione cum ipsis Doctoribus
 Pontificiis ibidem præcipuis, quorum sententiæ in Cœnobiis
 plus vice simplici veritatem Evangelicam modestè opposuit.

His ita cum laude gestis relictâ Geranâ 'nostram' *Salanava* ante hoc biennium adiit, albo academico insertus sub meo t. t. regimine, sub quo & ipse ejus Parens ante hosce quatuor ac triginta annos in sinum Academiæ nostræ receptus est, quemadmodum & idem quondam me Decano ac Promotore tum Licentiam tum Doctoratum præclare obtinuit. Excepit Nostrum illic Amplissima hinc Facultas Philosophica benivolè, eiquè Cathedram superiorem aperuit, habita ipso *Preside* Disputatione de Transsubstantiatione etiam ex rationis principiis confutatâ. Hinc non tantummodò plures *Disputationes* ex eadem habuit Cathedra, sed diversis etiam *Collegiis* Philosophicis lectionibus ac disputatoriis, quin & nostri Collegii indultu Homileticis cum non paucis è Juventute Academica magis magisque operam præstitit non contemnendam. Quibus speciminibus præclaris laudata Facultas Philosoph. Amplissima superiori jam anno ultrò inducta fuit, Candidatum nostrum numero *Adjunctorum* suorum adscribere; quem in ordinem & ritè Disputatione pro Loco habita introductus est à Magnifico hodiè Academiæ Rectore DN. D. GEORGIO SCHUBARTO, Historiarum & Eloqv. P. P. celeberrimo, tum temporis Facultatis Philosoph. Decano spectatissimo, cujus hinc favorem summum & commendationem efficacissimam gratus celebrat. Ex quo tempore & Collegia modò memorata alacriter continuavit, & sex pariter *Disputationibus* publicis sollenni Programmate indictis Parentis sui Nucleum Logicæ ventilationi Academicæ præsidendo proposuit. Interim & studia linguarum sacrarum ac SS. Theologiæ calidè tractavit: quam in rem etiam præter exercitia Theologica cum commilitonibus suis privatim instituta, etiam lectiones Celeberrimi nostri Sacrarum Linguarum Professoris, DN. JOH. ANDRÆ DANZII sedulò frequentavit, ejusquè insignem sanctas linguas tractandi methodum addidit; & quam diu hinc vixit, quotidianâ prope meâ, non minus quam

quam



Quàm Maxumè Reverendi nostri Collegæ & Adfinis hono-
ratisimi, DN. D. VALENTINI VELTHEMII, SS.
Theol. Prof. Publ. Celebratissimi, informatione consiliisque
saluberrimis usus est, nostris item utriusque lectionibus
Theol. publicis hætenus frequens interfuit, nec sine ap-
plausu conciones plures, etiam pœnitentiales solennes, no-
stro loco habuit, eoque nomine & nostræ Academiæ ac ci-
vitatæ amorem singularem, & maxumè Aulæ nostræ Sere-
nissimæ, coram qua & sacra hæc munia nonnunquam obire
jussus est, Gratiam clementissimam sibi conciliavit. Quo-
rum omnium meritorum intuitu non est quòd miremur,
Candidati nostri operam etiam alibi hætenus ab Ecclesia
Evangelica fuisse expetitam. Sed verò demississimo ani-
mi vultu potius agnoscendam existimavit excelsam nec fa-
tis prædicandam illam Gratiam, qua SERENISSIMI
PRINCIPES AC DOMINI, DOMINUS
WILHELMUS ERNESTUS, nec non
DOMINUS JOHANNES WILHELMUS,
DUCES SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, AC
MONTIUM, ANGARIÆ ITEM ET WEST-
PHALIÆ; LANDGRAFII THURINGIÆ,
MARCHIONES MISNIÆ, PRINCIPES HEN-
NEBERGIÆ, COMITES MARCÆ ET RAVENS-
BERGÆ, DYNASTÆ RAVENSTEINII, DO-
MINI AC NUTRITORES NOSTRI CLE-
MENTISSIMI, Candidatum nostrum denuò nunc
amplexi sunt, eique SYSTATICIS CLEMENTIS-
SISIS ad Facultatem nostram Theologicam datis indul-
geri jusserunt LICENTIAM impetrandi summos *in Theolo-*
gia Honores. Qua de causâ & Ipse non ita pridem desiderii-
um suum honestum Facultati nostræ modestè exposuit, &
in Candidatorum SS. Theol. numerum cooptatus est. Qua-
re ad primum examen, quod tentamen vocari solet, eum ad-
missi-

§ (o) §

missimus, in quô Eum se præstitit, ut ad reliqua Candidato-
rum Theologiæ specimina admittere Eum decreverimus.
Ad Lectiones igitur Cursorias, quas die crastini hora X.
auspicabitur, Magnificum Dn. Rectorem, Academia Patres
venerandos, Doctores, Magistros, omnesque qui studia
sacra æstimant, officiose & peramanter rogatos volo, ut tem-
pore constituto in loco publicô compareant, suaque hono-
rificâ præsentia laudabiles Dn. Candidati conatus pro-
bent. P. P. Jen. d. 2. Jul. 1699.



1707



